

6. Ordinarius non potest hujusmodi resignationem probare rejecta conditione.
7. Hac reservatio solet referri in purgationem Simoniam à Papa faciendam.
8. Non intervenit hic Simonia juris positivi.
9. Purgatio Simoniam non videtur hic magis necessaria, quam in permutatione Beneficiorum.
10. Sicuti permutatio Beneficiorum potest à Simonia esse immunis, ita & Resignatio in favorem.
11. Dispensatio, non purgatio Simoniam in Resignatione in favorem requiritur.
12. Vera ratio quare potius permutatio quam Resignatio in favorem coram Ordinario fieri possit.
13. Permutationes præmissa pactione improbat Urbanus III.
14. Declaravit tamen posse Episcopum Clericum de uno ad alium locum transferre.
15. Hic non probantur hodierna Beneficiorum permutationes.
16. He mutationes frequenter illicitæ: possunt tamen subinde esse licitæ.
17. Id confirmat S. Thomas.
18. Jure communi approbatio permutationis spectat ad Episcopum: licet non sit collator Beneficiorum.
19. In Gallia inferioribus Collatores etiam permutationes admittunt.
20. Exhibetur acta resignationis ex causa permutationis facta coram Capitulo.
21. A recusata hujusmodi resignatione admittitur in Gallia recursus ad Superiorem.
22. In Belgio permutationis approbatio ferè ad solos Episcopos spectat.
23. Ad nonnullos tamen inferiorum etiam in Belgio translata hæc auctoritas.
24. Collatores Ordinarii super permutatione Beneficiorum saltem audiendi sunt.
25. Patroni quoque interpellandi sunt, ut consensum præstent.
26. Superior consensum Patroni Ecclesiastici supplere potest.
27. Consensus Patroni laici absolute necessarius: neque suppleri potest.
28. In permutatione præter auctoritatem Superioris requiritur iusta causa & recta intentio ex parte Permutantium.
29. Causa permutationum ab Episcopis expendenda.
30. Pius V. vetuit resignationes ex levibus causis admitti.
31. Vetuit idem ne Ordinarii suis aut Resignantium consanguineis affinibus vel familiaribus conferant.
32. Quia ratio edita hujus Constitutionis.
33. Hac non ubique recepta; nec in Belgio observatur.
34. Quod præcipue in hac Constitutione intenditur ubique servandum.
35. Hodiernæ permutationes præsertim notabilis Beneficis cum Beneficio nullius aut exigui proventus raro omni ex parte licitæ.
36. Possunt tamen aliquando esse licitæ.



Ristinis Ecclesiæ seculis, nullum ordinari potuisse nisi unam certam Ecclesiæ, in qua functiones Ordinis suscepti obiret, adscriberetur, hæc pius notatum fuit; eamque disciplinam per Synodum Tridentinam Sess. 23. c. 16. de Reformatione renovatam fuisse notavimus supra parte 1. tit. 1. cap. 4. additque Synodus; Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicitur.

Quo Decreto manifestè prohibentur Clerici, etiam nullum beneficium habentes, sed in ipsa ordinatione alicui Ecclesiæ tantummodo adscripi, ab ea inconsulto

Episcopo recedere, ait Fagnanus ad Cap. 4. de Renunt. ubi num. 15. subjungit: "unde cavendum est à moderatis Collectoribus dum aliis relatis dixerunt, Presbyteris, & Clericis non habentibus beneficium in titulum personalem residentiam requirens, licitum esse ire quò velint, & Ordinarios teneri eis litteras commendatorias concedere. Hoc enim est contra præcitatum Concilii Decretum."

II. Cum autem per beneficiorum collationem hodiè contingat, Clericos certis Ecclesiis, in quibus ipsa beneficia fundata sunt, adscribi, consequens apparet, Clericos non magis in his Ecclesiis, quibus per Beneficiorum acceptationem & Canonicam in iis institutionem alligati sunt, posse inconsulto Episcopo renuntiare, quam si in ipsa ordinatione illis Ecclesiis essent adscripti.

III. Quapropter Tornacensi Episcopo etiam seculo XII. rescriptit Alexander III. "Universis personis tui Episcopatus sub districtione prohibeas, ne Ecclesias tuas Diocesis ad ordinationem tuam pertinentes, absque assensu tuo intrare audeant, aut detinere, aut se dimittere inconsulto."

Hoc responsum pristinis Ecclesiæ Canonibus conformem, in Decretales Gregorii relatum, nimirum in Cap. 4. de Renunt. partem juris communis constituit. Ex quo communiter concludunt Canonistæ, resignationes beneficiorum, etiam simplices & absolutas fieri debere de consensu Superioris Ecclesiastici, qui vinculum illud quo per institutionem Canonicam fuit Ecclesiæ adscriptus, solvere potest.

IV. Sensim renuntiationes, sive resignationes simplices & absolutæ beneficiorum rariores esse cœperunt; ipsique Superiores absque difficultate easdem admittunt; nam, uti post Zarabellam notat Fagnanus loco citato n. 12. "Superiores non curant, ut beneficiarii recipientes, dant de beneficiis, quin potius contenti sunt, ut possint aliis conferre."

Ex hac superiorum facultate in admittendis beneficiorum resignationibus invaluit tandem libera facultas renuntiandi beneficiis ad manus Collatorum; eaque sine consensu Episcopi sive Ordinarii deferendi, & se à vinculo, quo Ecclesiæ erat adstrictus, liberandi, nisi titulo beneficii ad Sacros Ordines fuerit promotus: quo casu ex præscripto Concilii Tridentini Sess. 21. c. 2. de Reformatione & Synodorum Belgicarum, resignari non potest, nisi facta mentione quòd ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittenda, nisi constet, quod aliàs commodè vivere possit; & aliter facta resignatio nulla est: de quo actum supra tit. 9. c. 5.

Non eadem etiam hodiè est libertas Resignationis conditionalis, sive in favorem, sive causa permutationis.

V. Et quidem resignatio in favorem certæ personæ cum clausula non aliàs, nec aliter, licet primitus etiam coram Ordinario facta videatur, hodiè tamen solus Papa eam admittere potest; adeo ut nec Legatus ejus eam probare possit; nisi speciali facultate sit instructus; uti notat Rebuffus in Praxi parte 3. tit. de Resignatione conditionalis: eaq; opinio hodiè communiter tum à Canonistis tum Theologis recepta est; ut pluribus citatis tradit Garcias de beneficiis parte 11. c. 3. eamque probavit Pius V. per Constitutionem quæ incipit: Quanta Ecclesiæ 58. in Bull. R. ubi absolute prohibetur resignatio in favorem coram Ordinario, etiam in casibus, in quibus permittitur fieri resignatio simplex coram Ordinario.

VI. Quin & ibidem dicit Garcias num. 155. quod nec poterit inferior à Papa conditionem rejicere, sive habere pro non adjecta & resignationem simpliciter admittente: quod & multis probat Rebuffus loco supra allegato.

VII. Rationem hujus reservationis communiter refuldunt Interpretes in Simoniam, quam in hisce resignationibus intervenit credunt propter clausulam nec aliàs, nec aliter, quæ pactionem quamdam continere videtur. Omnem autem pactionem in spiritualibus Simoniam continere ex Cap. fin. de Pactionibus junctâ Glossâ. Dicit enim Pontifex: "Pactiones factæ à vobis (ut audivimus) pro quibusdam spiritualibus obtinentis: cum in hujusmodi omnis pactio, omni que conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti."

Cur autem pactiones nullius sint momenti docet ibidem Glossa: Quia hujusmodi pactiones inducunt Simoniam.

Ut ergo hæc resignatio à Simonia eximatur, eam à Papa confirmandam putant: utpote cui soli ex eorum opinione auctoritas purgandi Simoniam competit.

Hinc Andreas Valensis in Tractatu de Beneficiis Lib. 3. tit. 28. n. 2. postquam dixit, quod resignatio in favorem debeat fieri coram Pontifice juxta stylium Curia & Constitutionem Pii V. rationem subjungens ait, "Quia conditio inducit Simoniam, secundum Glossam & plerisque Doctores, quam solus Pontifex, non etiam Ordinarius, vel Legatus purgare potest, tamquam quæ sit juris positivi, non divini, vel naturalis."

VIII. Verum si sit Simonia dumtaxat juris positivi, eam per Canonem aut aliquod Decretum positivum indactam esse oportet. At Canones & Decretales pactiones in spiritualibus Simoniacas & illicitas dicentes, nihil de novo constituunt; sed tantum quid sit declarant; uti ex ipso tenore manifestum est; ac notanter ex verbis citati Capituli finalis de Pactionibus patet, Pontificem pactiones illas non facere, sed declarare, seu potius supponere illicitas esse. Dicit enim idem de his pactionibus esse dicendum, quod de aliis, quæ observata vergunt in animæ detrimentum: quæ indubiè non jure positivo dumtaxat, sed & divino ac naturali illicitæ sunt.

IX. Ulterius si resignatio in favorem continetur Simoniam à solo Pontifice purgandam, propter pactionem in ea intervenientem; cur non similis Simonia dicitur intervenire in resignatione Beneficiorum ex causa permutationis: quandoquidem & hæc resignatio sit conditionalis; contineatque pactionem & conditionem, quod non aliàs nec aliter resignentur Beneficia quam sub ea conditione, ut alter alterius beneficium consequatur?

X. Sed dicent forsan, Compermutantes tantum simpliciter intentionem suam Ordinario exponunt, qui si eam probet; suâ auctoritate permutationem conceptam probat; atque compermutantes à vinculo, quo ratione Beneficis Ecclesiis suis respectivè alligabantur, absolvit; & de una Ecclesiâ ad aliam Ecclesiâ transfert: in quibus nulla vel species Simoniam esse videtur.

Nequaquam negavero, quin si permutatio Beneficiorum fiat prout eam Canones fieri volunt, ea possit ab omni Simonia esse plane exempta. Sed quidni resignationem in favorem similiter immunitam à Simonia esse posse dicamus?

Sicuti enim secundum formam juris, permutantes totum auctoritati Superiorum subjiciunt, id unum postulantes, ut si Superiori videatur, ipsos à vinculo quo suis Ecclesiis alligantur, absolvat, atque suâ auctoritate ad mutuas Ecclesias transferat: similiter resignans in favorem certæ personæ, exponit Pontifici, se desiderare à vinculo quo huic Ecclesiæ per Beneficium obstringitur absolvi, modò tamen hunc, quem huic Ecclesiæ maximè convenire judicat, successorem habere, aut nominare queat: totum interim, quemadmodum Permutantes, Pontificis arbitrio subjiciens: qui hoc unum expendere debet, num conveniat, ratioque sufficiens sit, ut in Canonibus qui prohibent, quod quis sibi successorem nominet, dispensandum sit.

XI. Itaque nulla hic, non magis quam in permutatione

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

Beneficiorum, purgatione Simoniam opus videtur; sed solâ dispensatione; quæ permittatur, ut quis sibi Successorem nominet: quæ dispensatio sensim, uti multæ alia Pontifici reservari potuit; sicuti eam hodiè illi reservatam scimus.

Et licet legamus, Pontifices aliquando cum Simoniacis per dispensationem mitius egisse, pœnasque Simoniacorum mitigasse; nullibi tamen legitur, Pontifices contractum alioquin Simoniacum à Simonia purgasse; aut indulgisse, ut conventiones, quæ aliàs essent Simoniacæ, suâ auctoritate absque Simonia mirentur: quemadmodum latius ostendemus tit. 29.

Hinc cum nomine Caroli IX. in Concilio Tridentino peteretur, ut resignationes in favorem deicerentur omnino à Curia Romana, ratio non à Simonia petita fuit, sed à transgressione Canonum veterantium designatione Successoris: est enim (ajunt) sacris Canonibus constitutum, ne quisquam sui Officii quærat, aut eligat Successorem.

XII. Soli ergo positivæ reservationi adscribendum, quod resignatio in favorem, non æquè ac resignatio ex causa permutationis fieri queat coram Ordinario. Ulterius hinc discimus, quod Rex Gallia admittens resignationes in favorem beneficiorum vacantium in Regalia, non purget Simoniam; sed tantum permittat Beneficis electionem seu nominationem Successoris.

XIII. In resignatione ex causa permutationis videtur intervenire conventio sive pactio, quæ Compermutantes inter se conveniunt, ut alter alterius beneficium habeat; sive quæ mediante beneficiis inter se permittentur. Hæc pactiones & conventiones super spiritualibus cum illicitæ & Simoniacæ viderentur, rescriptit Urbanus III. "Generaliter tenendum, quod commutationes præbendam de jure fieri non possunt; præsertim (ait) cum pactione præmissa, quæ circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem continet: semper Simonia." Cap. 5. de Rerum permutat.

XIV. Deinde ibidem subjicit Pontifex: "Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre personas: ut quæ uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere."

Ex hoc Pontificis responso aliisq; Canonibus & Decretis habetur, quod omnis conventio super permutatione beneficiorum verita sit; relicta tamen Episcopo auctoritate Beneficiarius de uno ad alium locum transferendi, si id in utilitatem cedere posse perspexerit.

XV. De sola ergo Beneficiorum translatione auctoritate Episcopi ob necessitatem aut utilitatem Ecclesiarum faciendâ, hic agit Pontifex, eamque probat; & antiquitatem nonnumquam factam, & à sacris Canonibus probatam scimus.

At hodiè non tantum sunt auctoritate Episcoporum translationes, sed inter ipsos Beneficiarios passim inveniuntur permutationes Beneficiorum; atque super iis, non secus atque super contractibus civilibus, publica instrumenta conficiuntur: quarum nec antiquitas meminit, nec Canones ullibi probant.

XVI. Verum est, inspectis Canonibus & Decretis permutationes hujusmodi videri absolute veritas; utpote pactionem aliquam continentes; quam reprobata esse in spiritualibus declaratur in citato Cap. 5. de Rerum permutat.

Nec sanè diffidendum est, in his permutationibus crebrè aliquam Simoniam aut aliam illicitam intervenire corruptelâ, uti loquitur Synodus Colonienis parte 1. c. 34. nihilominus si ob utilitatem aut necessitatem Ecclesiarum duo Beneficiarii simpliciter inter se deliberent de permutandis beneficiis; atque conceptum permutationis etiam coram Notario expediant, eâ intentione ut beneficiis ad manus Ordinariorum resignatis auctoritate Superiorum, & viâ Canonice institutionis alter

Mmm 3 alte

